



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Acta Concilii Papiensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

taliter in hac causa hortamur habere, tamquam solius Dei de vobis expectantes iudicium.

Cum haec dixisset, ipse se Concilio subtraxit, examen totum ecclesia & ecclesiasticis, quae ibi innumerabiles erant, committens personis. Erant autem circiter quinquaginta archiepiscopi & episcopi: abbatum & praepositorum non erat pra multitudine estimatio. Legati quoque diuersarum terrarum aderant, spondentes quidquid a Synodo decretum foret indubitanter a suis recipiendum.

Residentibus itaque episcopis & clero vniuerso, septem diebus causa ventilata est, tandemque domino Octauiano, qui cum praesens aduenisset, & haberet qui partem suam defenderent, cessit litis victoria, & pro ipso Concilium dedit sententiam, condemnato Rolando & reprobatum, qui citatus legitime Concilio se praesentare contumaciter abnuisse dicebatur. Saepius autem lectorem admonitum esse cupimus, ut in hoc facto ad disquirendam rerum veritatem non nostra dicta consulat, sed literis & scriptis, quae ad manus nostras venerunt, & huic operi inserenda visa sunt, innotatur, suo seruans arbitrio, quando de hac controuersia, & litis decisione, Concilii iudicio, sufficienter sibi fides facta videatur.

Acta Conciliabuli idem Radeuicus verbo tenus recitat capite 71. his verbis:

#### ACTA CONCILII PAPIENSIS.

**D**OMINVS Octauianus, & nemo alius, Romae in ecclesia beati Petri, petitione populi & consensu, ac desiderio cleri, a cardinalibus manto indutus est solenniter, & praesente cancellario, & non contradicente, in cathedra beati Petri collocatus est, & a cardinalibus & clero Romano Te Deum laudamus solenniter ei cantatum est, & nomen ei Victor impositum est. Ibi multitudo cleri & populi Romani venit ad pedes eius. Tunc scrinarius secundum antiquam Romanorum consuetudinem ascendens in altum voce magna clamauit ad populum, dicens: Audite ciues Romani, & caeterus reipublicae: Secunda feria pater noster Hadrianus mortuus est, & proximo sequenti sabbato dominus Octauianus cardinalis sanctae Caeciliae in Romanum pontificem electus & immanatus est, & in cathedra beati Petri collocatus est, & papa Victor est nominatus. Placet vobis? Respondit magna voce clerus & populus: Placet. Secunda & tertia vice interrogatus populus si placeret, clara voce respondit: Placet. Deinde cum bandis & aliis papalibus insignibus dominus papa cum laudibus in palatium deductus est.



ANNO  
CHRISTE  
1160.

His itaque rite peractis, capitulum beati Petri statim venit ad pedes eiusdem papæ Victoris, & obediuit, ac debitam ei reuerentiam exhibuit clerus & populus, multitudo magna similiter obediuit. Sequenti vero die proxima rectores cleri Romani accedentes ad dominum cancellarium, & ad cardinales qui cum eo erant, voluerunt cognoscere si immantatus esset, sicut quidam dicebant: & non inuenerunt eum immantatum, neque aliqua specie dignitatis variatum: & habito cum eo & cardinalibus suis colloquio, cognouerunt ab ore eius & suorum, quod nunquam fuerit immantatus, & quod hoc ei falso imponebatur. Quo audito & cognito, rectores ad pedes domini papæ Victoris venerunt, & obedientiam & reuerentiam exhibuerunt. De omnibus supradictis capitulis testes fuerunt, Petrus Christianus decanus basilicæ beati Petri, & omnes fratres eius, & duo rectores cleri Romani Blasius scilicet presbyter, & Manerius presbyter, & septem archipresbyteri Romanæ vrbis, & quatuor alii tam diacones, quam subdiacones.

\*al. no-  
uem

Deinde prior Lateranensis & sui canonici obedierunt.  
Clerici de patriarchia sanctæ Mariæ Maioris obedierunt.  
Abbas de patriarchia sancti Pauli per suos nuntios obediuit, & in signum obedientiæ de bonis ecclesiæ suæ illi misit.  
Abbas de patriarchia sancti Laurentii cum suis monachis obediuit.  
Abbas Cirengii obediuit.  
Abbas sancti Siluestri cum suis monachis obediuit.  
Abbas sancti Alexii in monte Auentino cum suis monachis obediuit.  
Abbas sancti Blasii cum suis monachis obediuit.  
Conuentus sancti Sabæ obediuit.  
Conuentus sanctæ Mariæ in Capitolio obediuit.  
Conuentus monachorum sanctorum Cosmæ & Damiani obediuit.  
Abbas sancti Valentini obediuit.  
Magister fratrum templi Hierosolymitani in monte Auentino cum suis fratribus obediuit.  
Cardinalia sancti Marcelli obediuit.  
Clerici de cardinalia sanctorum apostolorum obediuerunt.  
Clerici de cardinalia sancti Petri Ad vincula obediuerunt.  
Clerici de cardinalia sancti Siluestri obediuerunt.  
Clerici de cardinalia sancti Sixti obediuerunt.  
Clerici de cardinalia sanctæ Sabinæ obediuerunt.  
\*Balbinæ Clerici de cardinalia sanctæ \*Sibilinæ obediuerunt.  
Cardinalia sancti Cyriaci apud thermas Diocletiani obediuit.



Clerici de cardinalia sanctæ Mariæ trans Tiberim obediuerunt.

Clerici de cardinalia sanctæ Mariæ in Porticu obediuerunt.

Clerici de cardinalia sancti Nicolai in Carcere obediuerunt.

Monasterium sanctæ Agathæ obediuit.

Archipresbyter sancti Apollinaris obediuit.

Archipresbyter sancti \* Tryphi obediuit.

Archipresbyter sancti Bartholomæi obediuit.

Ecclesia sancti Celsi obediuit.

Ecclesia sanctæ Mariæ in Monasterio obediuit.

Ecclesia sanctæ Mariæ in Pallaria obediuit.

Ecclesia sancti Saluatoris de Curte obediuit.

Archipresbyter sancti Vincentii cum suis obediuit.

Archipresbyter sanctæ Catharinæ cum suis obediuit.

Archipresbyter sancti Thomæ de Parione obediuit.

Archipresbyter sanctæ Anastasiæ cum suis obediuit.

Archipresbyter sancti Saluatoris de Campo cum suis obediuit.

Archipresbyter sanctæ Mariæ in \* monte Celso cum suis obediuit.

Et multæ aliæ ecclesiæ & monasteria obedierunt, quas vix enumerare valemus.

Post promotionem domini Victoris, canonici beati Petri miserunt ad Rolandum cancellarium canonicos suos, qui viderent an esset immantatus, sicut quidam credebant, aut aliquo modo promotus. Vnde bis missi inquisitores, bis retulerunt eum non esse immantatum, nec aliqua promotionis specie variatum. Sequenti vero die, vt omnis dubitatio tolleretur, miserunt canonici quosdam de suis, vt mensæ cardinalium, qui intererant, interessent, & viderent si saltem in mensa locum digniorem solito obtineret, aut etiam benedicendo mensam primus esset, vel aliquo modo inter cardinales loco, vel dignitate, seu veste dignior haberetur. In quibus omnibus nullo modo senserunt eum promotum, vel mutatum. Atque in hunc modum perscrutati sunt canonici statum cancellarii per singulos continuos octo dies.

Basso & Ioannes de Romano dicunt: Postquam cancellarius, sedente domino Victore in cathedra, in munitionem se recepit, Ioannes Phizutus clericus, & Ioannes de Buccalata laicus, voluerunt immantare cancellarium. Qui cum iniuria repulit eos, dicens: De me non facietis ridiculum: ibi est papa: ite ad eum, & obedite ei.

Presbyter Blasius & presbyter Manerius, rectoribus Romani, dicunt se cum tribus aliis rectoribus cleri sequenti

ANNO  
CHRISTI  
1166.

\*Tryphi  
nis

\*Monte  
celso



ANNO CHRISTI 1160. die post promotionem domini Victoris accessisse ad cancellarium, & ad omnes cardinales qui cum eo erant, & non viderunt eum immantatum, nec aliquo modo promotum: & antequam discessissent, audierunt duabus vicibus ab ore cancellarii, quod nec erat, nec fuit immantatus. In presentia etiam ipsorum rectorum, qui ibi erant, testificatus est Otto cardinalis de Carcere Tulliano, quod dominus Octavianus nullam violentiam vel iniuriam intulit cancellario.

Item dixit Otto: Pro nihilo adscribitur hoc domino cancellario, quia nullus ei mantum abstulit, quia nunquam habuit. His omnibus ita peractis & cognitis, rectores isti iuerunt ad dominum Victorem, & obedientiam ei fecerunt, & praeceperunt clero vt ei obediret: quod & factum est.

Presbyter Barro & presbyter Ioannes, capellani de cardinalia cancellarii, dixerunt se sequenti die post promotionem domini Victoris ad cancellarium accessisse, & dixisse ad eum sic: Audientes vos esse immantatum, gaudebamus, & nunc quia aliter videmus, dolemus. Qui dixit eis, Pro me nolite gaudere vel dolere, quia ego nec fui, nec sum immantatus: ite & obedite ei quem videtis immantatum. Hæc verba taliter ab ore cancellarii processisse commisit presbyter Barro, & presbyter Ioannes, quibusdam ex nostris clericis presentibus, vt iurarent in animabus eorum ita verum esse.

Clerici de cardinalia sancti Chryfogoni dixerunt se sequenti die post promotionem domini Victoris accessisse ad cardinalem suum, qui erat cum cancellario, & interrogasse eum, dicentes: Omnes clerici vadunt ad pedes domini papæ, quid faciemus & nos? Qui respondit: Ite ad eum, sicut alii.

Multi ex nostris dicunt vidisse cancellarium II. die ab Vrbe exisse sine manto, sine stola, sine albo equo, & sine omni habitus \* munitione, cum pellibus nigro pallio coopertis, & cum nigro almutio vsque ad Cisternam.

Ioannes de Romano dicit audiuisse Ioannem Neapolitanum & Bonamdiem, & quosdam alios cardinales, dicentes apud Cisternam: Quoniam modo sumus sine pastore, & sine capite, faciamus nobis dominum: & postea im-



mantauerunt eum, & cantauerunt ei Te Deum laudamus apud Cisternam.

Ioannes de sancto Stephano & Vvolferaminus dicunt se audiuisse quod papa Hadrianus dixit ad eos, cum de Vrbe exiret: Octauianus, inquit, quem ego misi in Longobardiam, vult excommunicare Mediolanenses: sed ego mandavi Mediolanensibus, vt non curent de eo, sed fortiter se habeant, tam ipsi quam Brixienfes, contra imperatorem: & ego cum eis disposui, quod imperator propter eorum impedimenta non poterit Romam venire. Item etiam cum cardinalibus ita disposui, quod Octauianus non erit papa post mortem meam.

Gimundus & Vvolferaminus dicunt se audiuisse ab ore episcopi Sabinensis, quod libenter rediret ad dominum Victorem; sed ita adiuratione est astrictus, quod sine periurio non potest.

Episcopus Aletrinus in praesentia domini Guidonis Cremenfis cardinalis, & Gimundi, & Ioannis Caietani, & aliorum multorum, dixit: Non possum ad dominum Victorem venire, quia talem securitatem feci cancellario, & suis apud Anagniam, quod non possum ad eos venire vsque ad Kalendas. Post Kalendas autem veniam: interim tamen habeo eum pro domino & pastore meo. Itaque Kalendis transactis, cum infirmitate teneretur, misit domino Victori obedientiam per clericum quemdam, quem habemus praesentem.

De omnibus supra dictis capitulis testimonium perhibuerunt praedicti rectores cleri Romani, & \* septem archipresbyteri supra memorati, & alii multi honesti & religiosi clerici Romani, & Petrus Urbis praefectus, & Stephanus de Tebaldo, & Stephanus Northmannus, & Ioannes de sancto Stephano, & Ioannes Caietanus, & Vvolferaminus de Gidocica, & Gimundus de domo Petri Leonis, & multi alii illustres Romani & nobilissimi, qui omnibus his interfuerunt, & omnia viderunt, & tractauerunt.

Qualiter Fridericus confirmauerit electionem Victoris, eumque inthronizauerit, idem Radeuicus subiungit his verbis: *Confirmato & recepto taliter in papatu Victore, desertur ad principem sacerdotalis Concilii sententia. Qua venerabiliter suscepta & approbata, Victor ad ecclesiam*



ANNO CHRISTI 1160. *siam vocatur, & magna solennitate, & frequentia cleri ac populi suscipitur, ipsique ut summo pontifici & vniuersali papæ acclamatur. Diuus quoque imperator consuetam ei reuerentiam, sicut Constantinus beato Siluestro, humiliter pro foribus ecclesie exhibuit: & manu eius accepta usque ad sedem deduxit, & inthronizauit. De reliquis qua ibidem acta sunt, exemplaria literarum subnotata consule.*

## EPISTOLA IMPERATORIS.

De Victoris electione.

*Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, & semper Augustus, dilectissimo suo Eberardo venerabili Saltzburgensi archiepiscopo, & suffraganeis eius, Alberto Frisingensi episcopo, Hartmanno Brixinensi, & Romano Gurcensi, totique provincia Saltzburgensi, gratiam suam & omne bonum.*

**S**I sacro Concilio Papiæ interfuissetis, omnia quæ ibidem vel in Romana ecclesia facta sunt oculata fide cognoscere possietis. Ne autem ab his qui prauis delationibus & mendaciis iam fere totum orbem resperferunt veritas possit obnubilari, vel vestra sinceritas trahi in contrarium, quanto breuius possumus, seriem totius rei sine aliqua falsitatis commixtione, mera veritate, vobis significare dignum duximus. Luce clarius constat quod papa Hadriano adhuc viuento Rolandus cancellarius, & quidam cardinales, non attendentes illud dominicum; *Sit sermo vester, Math. 5. est, est, non, non,* conspiratione facta cum Vvilielmo Siculo, prius ab eis excommunicato, & cum ceteris hostibus imperii, Mediolanensibus, Brixiensibus, Placentinis, ne forte per mortem papæ Hadriani tam iniqua factio euanesceret, iuramenti vinculo inuicem sese constrinxerunt, vt defuncto papa nullus alius ei substitueretur, nisi qui in eadem conspiratione cum eis conuenisset. Hac de causa duodecimo die post electionem domini Victoris papæ, eo sedente in sede beati Petri, iam dicti conspiratores egressi ab Vrbe ad cisternam Neronis, derelinquentes venam aquarum viuentium, se contulerunt, & idolum sibi Rolandum cancellarium erexerunt, dicentes hunc esse Simonem Petrum, qui apostolicæ dignitatis apicem tam nefaria inuasionem attingere præsumebat. Quod hæc conspiratio facta fuerit, & ille iam dictus Rolandus per eam hoc modo intrauerit, non est fictitium, sed religiosus viris ab illo qui fa-

Concil. Tom. 27.

T t